

vertendum se in Deum; ergo non indigeret habitu charitatis superad-
dito ad amandum, et convertendum
se; superfluit enim habitus, ubi
præsupponitur determinata poten-
tia. Quod si non est determinatus,
nisi ex suppositione, quod habetur
ipse habitus charitatis, aut visionis
gloriæ; ergo non absolute, et sim-
pliciter, neque ab intrinseco est de-
terminatus ad bonum beatus, sed ex
suppositione, et in sensu composito:
sicut ex suppositione, quod quis habet
auxilium efficax, non potest peccare,
simpliciter autem, et in sensu di-
viso potest: poterit ergo similiter
peccare beatus absolute, et simpli-
citer loquendo. Confirmatur secun-
do, quia potest Deus imponere be-
ato præceptum circa ea, quæ libere
operatur, et denegare auxilium ef-
ficax ad illud implendum, quia hoc
datur libere; ergo poterit peccare
non adimplendo.

LXXVIII. Respondetur quod visio
pugnat cum peccato privative, si-
cut gratia, non formaliter et prox-
ime, sed radicaliter et eminenter,
quatenus est gratia consummata,
et unio ad Deum, atque illius asse-
cutio, cui subordinata, et conjuncta
voluntas, eodem modo, imo plus,
et eminentius repugnat privationi
peccati, quæ est aversio a Deo, quam
ipsamet gratia. Et quidquid sit, an
peccatum etiam contrarie, et positi-
ve opponatur gratiæ, et rectitudini
virtutis; tamen constat essentiali-
ter, et intrinsece secum involvere
privationem illius, sicut recessus,
et accessus, seu motus contrarii,
qui licet positive opponantur, prop-
ter privationem tamen intrinsece
annexam, non possunt simul esse
in eodem subjecto: similiter ergo
neque gratia, et peccatum. Quod si
gratia non potest, ergo neque gra-
tia consummata, quæ est visio, non
quatenus præcise est in intellectu
formaliter: sed quatenus etiam in-

format animam, subordinatque sibi
voluntatem et impeccabilem relin-
quit, sicut declaratum est, et in ip-
sa unione hypostatica exemplifica-
tum.

LXXIX. Et cum dicitur, quod
formaliter opponitur gratia peccato,
quam visio, respondetur quod for-
maliter opponitur gratia formalitate
immediata, et proxima, sed visio
formalitate eminentiori et consum-
mata, et non minus sed magis effi-
caci: quia firmat, et necessitat ad
bonum, prohibetque omne opposi-
tum dictamen. Et licet id faciat vi-
sio, ut ex parte intellectus se tenet,
quasi directive, et efficienter; ta-
men quia hoc facit tamquam prin-
cipium directivum intrinsecum, et
permanenter, atque habitualiter
unitum, et permanenter, atque per-
petuo reddens voluntatem sibi su-
bordinatam, et conjunctam, ideo
reddit impossibilem conjunctionem
et simultatem cum peccato, quia
peccatum habet intrinsecam priva-
tionem, et aversionem annexam
cum tali subordinatione, et conver-
sione, ut satis explicatum est.

LXXX. Ad primam confirmatio-
nem respondetur, quod per visio-
nem determinatur voluntas ad non
peccandum, quasi ad effectum ne-
gativum: et ad diligendum, et con-
vertendum se ad Deum determina-
tur, non intrinsece, et specificative,
et proxime, sed radicaliter, et direc-
tive, præter hoc autem indiget prin-
cipio proximo elevante, et infor-
mante voluntatem ad eliciendam
speciem talis actus: sicut licet unio
hypostatica sit principium determi-
natum ad bene operandum, et non
peccandum, tamen adhuc indiget
habitibus supernaturalibus superad-
ditis ad eliciendum actus superna-
turales, ut scilicet habeat principia
ejusdem specificationis, et ordinis
cum actibus eliciendis: sic licet
visio subordinet, et determinet vo-

luntatem ad non peccandum, ta-
men ut eliciantur actus voluntatis
connaturali modo per principia ejus-
dem specificationis, et ordinis,
oportet infundi habitum charitatis,
qui talem actum modo connaturali,
et proportionato eliciendum deter-
minet. Nec tamen dicimus, quod
beatus solum est determinatus ad
bonum in sensu composito, et ex
suppositione, quod habeat habitum
retinendi indifferentiam ad opposi-
tum, sicut dici solet, quod supposi-
to auxilio efficaci, vel habitu gra-
tiæ, adhuc potest oppositum ante-
cedenter, et in sensu diviso, non in
sensu composito; sed per visionem
tollitur indifferentia contrarietatis
ad peccandum, imo et contradic-
tionis ad non amandum, nisi Deus
suspendat concursus, et ideo non
solum in sensu composito, et secun-
dum quid, sed simpliciter, et in om-
ni sensu non potest peccare stante
visione.

LXXXI. Ad secundam confirmatio-
nem respondetur juxta superius dic-
ta, quod potest a Deo poni præcep-
tum circa ea, quæ a beato libere
agenda sunt, sicut de facto retineant
præcepta, et legem naturalem, et
Christo impositum fuit præceptum,
licet incapax esset peccati. Nec ta-
men potest ei denegari efficax au-
xilium ad præceptum implendum,
ex suppositione quod tali subjecto
impeccabili præceptum ponitur, et
loquendo in sensu composito, licet
absolute, et in sensu diviso libere
detur: quia potest auferri, vel non
poni præceptum, et denegari auxi-
lium. Nec potest beatus divertere ab
eo, quod tenetur agere, sive ea quæ
a se agenda sunt videat in essentia
divina, sive non; quia (ut supra
diximus) sufficit quod ipsi fini ita
adhæreat, quod nihil agere possit,
quod ab ipso fine avertat, vel ipsi
non subordinetur; quo opposito non
potest erroneum, et defectuosum

judicium formare circa agibilia,
sive in Verbo videantur sive non.

ARTICULUS VI.

*Unum perpetuitas sit per se annexa
beatitudini; et unde oriatur?*

I. Beatitudinem consistentem in
divinæ essentiae visione esse perpe-
tuam de facto, absoluta fides est,
cum sit vita æterna, et sic promit-
titur nobis passim in Scriptura, po-
niturque ut articulus credendus in
symbolo, et definitur in Conciliis.
In Scriptura traditur, ut Sapient. v:
Justi autem in perpetuum vivent:
Joan. x: *Ego vitam æternam do eis:*
Joan. xvii: *Hæc est autem vita æter-
na, ut cognoscant te solum Deum
verum:* Roman. vi: *Gratia Dei vita
æterna:* et Apocalyps. xxii: *Dom-
inus Deus illuminabit illos, et regna-
bunt in sæcula sæculorum:* Psalm.
lxxxiii: *Beati qui habitant in domo
tua, Domine, in sæcula sæculorum
laudabunt te.* In symbolo continetur
iste articulus, cum dicimus:
« Credo carnis resurrectionem, vi-
tam æternam, etc. » In Conciliis ex-
tat confessio patrum in Concilio La-
teranensi sub Innocentio III, in ca-
pite Firmiter, de summa Trinitate:
« Quod unusquisque accipiet prout
gessit in corpore, mali pœnam æternam,
boni gloriam sempiternam. » Et idem citari solet ex sexta
Synodo, in actione xi, in epistola
Sophronii recepta in actione xiii.
Cæterum singula Concilia, præser-
tim generalia, et plura provincialia,
præsertim Toletana, citari possunt,
in quibus generalis fidei formula
traditur, et confessio patrum in sym-
bolo, ubi profitentur æternitatem
beatitudinis, quæ est ipsa perpetui-
tas, et inamissibilitas visionis, et
fruitionis Dei.

II. Hinc explosus manet error, quem Origeni attribuit S. Thomas in hac quæstione v, articulo iv, et ita refertur a S. Augustino libro de hæresibus, hæresi XLIII, et a S. Hieronymo epistol. LIX, et in apologia contra Ruffinum, quod post ultimam beatitudinem poterit homo fieri miser, sicut quod miseria damnatorum finietur, et sic ponit futuras alternationes inter ipsos; quamquam aliqui ab eo errore conentur ipsum liberare; vel quia dicunt hunc errorem fuisse ab hæreticis insertum, vel quia putant solum damnatorum pœnas posuisse finiendas, non sanctorum beatitudinem.

III. Quidquid tamen sit de hoc, error iste cujuscumque sit, aut fuerit, ex auctoritatibus supra dictis certissime exploditur, perpetuaque traditione, et notitia Ecclesiæ, potestque etiam de ea re videri definitio Benedicti XII, in extravaganti Benedictus Deus, ubi definit animas sanctorum plene purgatas videre, ac frui Deo in perpetuum sine ulla amissione.

IV. Rationes autem quas ad hoc probandum adduxit D. Thomas in articulo quarto citato, et in tertio contra gentiles. cap. LXII, reducuntur ad duas; altera ex ipso generico, et essentiali prædicato beatitudinis ultimæ, quatenus est assecutio ultimi finis satiantis animam: altera ex specifico prædicato, quatenus est visio Dei intuitiva, et clara, quæ rationes quia videntur probare beatitudinem ab intrinseco esse perpetuam, et inamissibilem similiter, oportet hoc specialiter examinare.

BEATITUDO TAM EX ESSENTIALI PRÆDICATO ASSECUTIONIS ULTIMI FINIS, QUAM EX RATIONE VISIONIS DEI, AB INTRINSECO PETIT PERPETUITATEM.

V. Variant auctores in hac difficultate. Quidam ab intrinseco, et

ex propria natura apponunt beatitudinem esse perpetuam; quidam accidentaliter, et ab extrinseco, quia ab intrinseco dicunt esse perpetuam et incorruptibilem; quidam absolute, et sine distinctione docent ex sua natura propria, visionem beatificam esse perpetuam, et inamissibilem, ut communiter sentiunt Thomistæ, de quibus postea. Alii distinctione utuntur in hac parte; considerant enim visionem dupliciter; uno modo entitative in se, et in ratione physicæ operationis: alio modo in ratione, seu denominatione beatitudinis. Primo modo dicunt non esse de ratione visionis, quod sit perpetua, et inamissibilis, imo de facto data est ad tempus Moysi, et Paulo; sed tamen quantum ad ejus physicam, et entitativam durationem philosophantur eodem modo quo de Angelis, et anima rationali, et corporibus cœlestibus, scilicet quod in ordine ad agens creatum illa operatio est incorruptibilis, et æterna; et in ordine tamen ad agens increatum est corruptibilis, et destructibilis ex natura sua. Et quia juxta communem modum loquendi, corruptibile, vel incorruptibile dicuntur per ordinem ad causam creatam, simpliciter potest dici incorruptibilis illa visio. Si tamen ly corruptibile sumatur pro destructibili, debemus dicere quod simpliciter est destructibilis illa visio, et solum cum addito est inamissibilis, nempe respectu agentis creati. At vero secundo modo, scilicet si sumatur visio pro ratione, et formalitate beatitudinis, sic non potest reddere beatum, nisi sit perpetua, ita quod perpetuitas annectitur illi non præcise ut visio, sed ut beatitudo idque ex natura beatitudinis habet. Ita Vazquez hic disp. XXI, cap. II et III, et consentit Curiel statim citandus conclusione secunda.

VI. Alii quos citat ipse Vazquez suppresso nomine in dicto capite secundo dixerunt, quod ista operatio non potest corrumpi ab aliquo contrario, vel ab ipsa voluntate creata, quæ ab illa cessare non potest, licet a Deo possit corrumpi; et nihilominus tamen dicunt esse corruptibilem visionem illam, pro ea parte qua dependet a lumine gloriæ, quod quidem non est in subjecto incorruptibiliter, cum fit supra naturam subjecti, non in eo radicum. Quod est dicere esse corruptibilem ab extrinseco, ratione luminis. Insinuat hanc sententiam Curiel in hac quæstione v, art. iv, dubio unico, conclusione prima.

VII. Ex alia parte qui ponunt visionem ab extrinseco solum esse incorruptibilem, et perpetuam, etiam dividuntur. Nam quidam volunt visionem esse perpetuam solum ex voluntate Dei sic perpetuante illam, non ex natura sua, non ex principio suscipiente, et habente illam, qui est intellectus. Ita Scotus in iv, dist. XLIX, quæst. vi, §. Dico ergo. Sunt tamen aliqui, qui putant Scotum simpliciter sentire quod visio est perpetua, et incorruptibilis ex natura sua, seu ab intrinseco: quia concedit esse incorruptibilem, sicut Angelos et cœlos, qui licet annihilabiles sint a Deo, tamen a principiis intrinsecis sunt incorruptibiles. Et ita sensum Scoti explicat Ægidius a Præsentatione secundo tomo de beatitudine, lib. XII, quæst. XII, artic. I, propositione III; et aliquos ita tenere refert Curiel ubi supra. Sed tamen ut ipse bene advertit, Scotus solum comparavit visionem cum Angelis, et cœlis, quantum ad hoc quod non possint desinere, et corrumpi ab aliquo agente creato extrinseco: cæterum in alio ponit longe differre, scilicet, quod possit visio corrumpi, et desinere ex parte principiorum intrinsecorum ipsius

hominis, scilicet ex parte intellectus, et voluntatis; quia putat intellectum, etiam superaddito lumine gloriæ, non esse determinatum ad eliciendam visionem, aut permanendum in ea; imo quoad exercitium dependere ab imperio, et applicatione voluntatis. Unde ex hac parte cessare potest visio, atque adeo ut non cesset, indiget voluntate Dei extrinseca conservante.

VIII. Alii existimant visionem licet ex natura sua non sit incorruptibilis, tamen ex aliquo accidentali reddi permanentem, et perpetuam, scilicet ex statu, et permanentia ipsius luminis gloriæ, a quo elicitur. Quando enim datur in tali statu permanentiæ, in qua datur beatis, reddit etiam perpetuam visionem, quia lumen ipsum permanens, et perpetuum est. Ita refert Ægidius ubi supra ex Sala 1-2, tomo I, quæst. LI, art. IV, tract. II, disp. II, sect. II, num. XXI. Alii denique simpliciter docent de ratione illius operationis, seu visionis, ut est consecutio objecti beatifici, non esse perpetuitatem, bene tamen de ratione beatitudinis, ut est status omnium bonorum aggregatione perfectus, sic enim si careret perpetuitate, aliqua ei perfectio deesset.

IX. Nihilominus secundum Thomæ sententiam dicendum est, perpetuitatem esse de ratione beatitudinis, ut status est felicitatis plenæ, et perfectæ, et similiter esse de ratione intrinseca, seu convenire ab intrinseco ipsi operationi beatitudinis, quæ est visio, licet a Deo ista perpetuitas impediri possit, aut tolli sicut quælibet res creata perpetua, et incorruptibilis. Hæc sententia est communis inter Thomistas. Videri potest apud Gregorium Martinez hic quæst. v, dubio I, ubi citat Medinam, Cajetanum Conradum, Sotum in IV, dist. XLIX, quæst. III, art. IV, conclus. II. Sequitur eam

dem Montesinos hic quæst. v, art. iv, disp. vi, quæst. viii, §. ii et iii, Ægidius a Præsentatione ubi supra. Et sine dubio est expressa sententia S. Thomæ in hac quæstione v, art. iv, et in tertio contra gentiles, c. LXII, idque ejus rationes probant, aut nihil probant. Favet etiam locutio Scripturæ, quæ simpliciter vocat visionem illam hæreditatem incorruptibilem, ut I Petri I: *Regeneravit nos in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem: et I ad Corinth. ix: Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Sic ergo appellatur visio illa incorruptibilis, sicut anima rationalis, et Angelus incorruptibilis est. Angeli autem natura sua incorruptibiles sunt, id est, ex principiis intrinsecis carent omni principio corruptionis, licet a Deo per subtractionem concursus possint annihilari. Visio ergo illa, et beatitudo ex intrinsecis principiis incorruptibilis est, licet per subtractionem concursus divini deficere possit, sive id proprie sit annihilatio, quia accidens est, sive non saltem potest desinere quoad totum esse.

X. Et ad fundandam istam conclusionem sufficit nobis ponderare duas rationes D. Thomæ in hac quæstione v, art. iv, ad quas cæteræ reducuntur. Prior ratio D. Thomæ desumitur ex ipsa ratione beatitudinis; secunda ex speciali ratione visionis in se considerata. Prima ratio sic proponitur: Beatitudo est bonum perfectum, et sufficiens; ergo oportet quod desiderium quietet (id est, sit de se quietativum, seu sufficiens quietare) et excludat omne malum. Rursus naturaliter homo desiderat retinere, seu non amittere bonum, quod semel possidet, et securitatem de hoc habere, quia si non assecuratur, ipso timore, vel do-

lore amittendiaffligitur, etsi affligitur non habet plenum, et sufficiens bonum. Requiritur ergo ad plenitudinem beatitudinis, quatenus est perfectum, imo et summum bonum, quod inducat dictamen, et iudicium de securitate, et inamissibilitate talis boni semel possessi. Et tunc, vel tale iudicium de securitate, quam inducit, vel est verum, vel falsum: si verum; ergo ita est in re, quod illa beatitudo est inamissibilis: si falsum, ergo est grande malum, quia falsitas malum intellectus est, et sic illud bonum non erit perfectum, et summum, si quidem tantum malum admittit, et sic non erit beatitudo. Igitur implicat, quod beatitudo sit, et sit amissibilis ex natura ipsa propria beatitudinis, quatenus perfectum bonum est.

XI. Hæc ratio est demonstrativa loquendo de beatitudine quoad substantiam, et quoad modum, id est, quando datur per modum, et statum beatitudinis; alias enim potest beatitudo ipsa auferri, et per modum transeuntis dari sine statu beatitudinis, sicut in Moyse, et Paulo. Et communiter apud auctores admittitur, quod visio secundum formalitatem, et rationem beatitudinis exigit perpetuitatem, licet Scotus id reduxerit ad extrinsecum principium Dei conservantis, quia ex ipsa natura, et conditione intellectus, vel voluntatis putat posse deficere, et relinqui. Cæterum si ratio D. Thomæ profundius penetretur, concludit sine dubio, quod ex natura, et substantia sua id postulat beatitudo, supponendo id, quod ex se notissimum est, et jam supra tractatum, quod ratio beatitudinis substantialiter, et quidditative convenit alicui operationi, non modo, aut statui alicujus operationis, eo quod aliqua operatio debet assignari, quæ in se substantialiter, et quidditative sit assecutio finis ultimi, et sum m

boni, si quidem habet illud pro objecto specificativo: ergo ex specie operatio illa assecutiva est talis objecti; sicut etiam datur operatio ex sua specie intentiva talis finis, et dilectiva illius; ergo et assecutiva. De tali ergo operatione, quæ non ex modo, vel statu, aut aliquo alio accidente adjuncto est beatitudo, seu assecutiva finis ultimi, et summi boni, optime currit ratio D. Thomæ, quod oportet, quod illa operatio ex ipsa sua specie et intimis visceribus petat perpetuitatem, eo quod petit securitatem, et objectionem omnis timoris, si quidem ex sua specie excludit omne malum, et inducit omne bonum, et consequenter ex sua specie, et natura intrinsece petit illum statum, et illum modum habendi se per modum beatitudinis. Unde perinde est convenire illi visioni perpetuitatem ratione status, aut ratione sui, quia status ipse est proprietatis visionis, et ex sua natura illum petit; ergo et securitatem; licet hæc omnia supremæ Dei potentia subjecta sint, qui potest illa destruere sicut Angelos, et quas-cumque creaturas annihilare. Itaque D. Thomas ex securitate, quæ est requisita ad perfecte habendum finem ultimum, et summum bonum, et ut excludatur omne malum, infert requiri perpetuitatem in tali possessione, et assecutione summi boni.

XII. Nihilominus tamen plura obijci possunt contra istam rationem, ex quorum solutione manifestior fiet illius efficacia. In primis contra illam primam propositionem, cui innititur tota vis rationis, scilicet quod beatitudo importat bonum sufficiens, et perfectum, illudque ponit in creatura intellectuali. Nam contra est, quia bene stat dari beatitudinem, et aliquod ex bonis, quæ illi conveniunt, vel ad illam sequuntur deesse, sicut modo animæ beatæ

non habent corpora, quæ connaturaliter postulant: et Christus habuit in hac mortali vita tristitiam, et dolorem, quæ sunt mala opposita statui beatitudinis: et similiter potest ei deesse multiplex cognitio creaturarum, quam potest appetere tam intra, quam extra Verbum, et de facto dantur novæ revelationes Angelis quæ ante non dabantur: potest etiam dari visio beata cum suspensione actus dilectionis, vel delectationis, quam potest appetere; ergo non est necesse, quod cum beatifica visione habeat beatus in actu, et exercitio omne bonum, et satietatem etiam eorum, quæ conveniunt illi præter visionem. Item contra aliam secundam propositionem, quod necesse sit habere securitatem de bono possesso habendo opinionem, seu iudicium, quod non amittetur tale bonum, fit contra hoc instantia, tum, quia securitas pertinet formaliter ad voluntatem, si quidem est exclusio timoris, ad hoc autem non requiritur iudicium illud certum, quod non sit eventurum malum, sed sufficit suspendere, vel non habere iudicium de illo malo eventuro: ergo male requirit D. Thomas ad securitatem illud dictamen, seu iudicium; tum etiam, quia ad beatitudinem non requiritur, nisi quod videat quis essentiam divinam, etiamsi nullam creaturam in particulari videat; ergo adhuc erit beatus, etiamsi non videat suam visionem aut durationem ejus perpetuam; ergo etiamsi non habeat iudicium de tali perpetuitate, et inamissibilitate. Non ergo ad rationem beatitudinis requiritur iudicium illud de perpetuitate, quod ponit D. Thomas. Dicere autem, quod tunc requiretur, quod cognoscat visionem suam per aliquam cognitionem extra Verbum, et videat quod erit perpetua, contra est, quia beatitudo non pendet ab aliqua cog-